Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1125
Quelle:
Copyright:

Edit. p. 383. innotescit. Quis hic *Johannes* Card. fuerit, difficile est dispicere, cum *Ciaconius* sex hujus nominis Cardinales non Episcopos sub *Paschali* II. censeat. Ejus porro Epistolae, quam *Gerberonius* non vidit, hic tenor est: *Domno anselmo cantuariorum reuerentissimo archiepiscopo a deo electo. iohannes romanę ęcclesię cardinalis et sacerdotum minimus. prosperos semper successus in domino. Nos qui ad ęcclesiastici certaminis palestram inungimur. apostoli testimonio uenerabilis pater instruimur. ut ab omnibus sarcinis nos debeamus absoluere. quę cursum nostrum et superne uocationis brauium ualeant prepedire. Vt enim predictum cimbalum tinniens dicit. nemo militans deo implicat se negotiis secularibus. Nos qui deo militamus uestimenta mundi huius debemus in mundo deserere. ut cum ihesu qui in cruce spoliatus est. et cum helia qui pallium heliseo reliquit discipulo ualeamus secreta celi penetrare. Hoc enim significat quod femur patriarche iacob emarcuit et uno pede post luctam angeli semper claudicauit ut innitamur uno pede diuini amoris. et infirmemur in pede presentis. Hos enim pedes dominus ostendit cum dicit. Nemo potest duobus dominis seruire. deo et mammone. Qua propter sanctissime pater age quod agis. operare quod operaris. ne des locum tuum alienis. Et si in agone pro amore christi suscepto grauiter uideris insudare illud hortamentum iacobi ut leta mente studeas apprehendere. quod dicit. Omne gaudium existimate fratres. cum in uarias temptationes incideritis. quoniam probatio uestrę fidei pacientiam operatur. Audiuimus pater uenerabilis audiuimus uoce forti. aure interiori per reuerendos fratres nostros balduinum et alexandrum quid tu preco iusticię pro iusticia patiaris et quantum iusticię pariter et constantię clipeo contra regia iacula muniaris et gladio bicipiti quod est uerbum dei super femur tuum potenter accingaris. Sed recordare quęso fortis athleta dei ut uineam soreth* (sic) *uineam quam plantauit altissimus nulli uendas regi. nulli commodes homini. quia hoc exemplum omnibus cultoribus ęcclesię sanctus naboth memoriale reliquit qui prius mori quam uineam suam achab uendere decreuit. hoc est quod ysaias post mortem ozie uidit dominum sedentem solio excelso. quia regnante nobis leproso rege non possumus deum uidere in sua maiestate. Illi enim rex leprosus regnat. qui declinanti a uia regia et a fide catholica totis uiribus non obuiat. Ne timeas igitur pie pater falsos episcopos quorum personam sustinet amasias. qui ad ieroboam regem accusauit amos prophetam dicens. rebellauit amos contra te. quia etsi ieroboam rex constituat sacerdotes in excelsis. non tamen de filijs leui. Igitur quia bonum certamen certasti uide ne circa finem deficias ne dicatur. Iste homo cepit edificare sed non potuit consummare. Lege.*

Anselmi Epistola ad *Mauritium* fratrem Monachum *Beccensem*,